14

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

PODAGRA RETROCEDENTE

QVAM

ASSISTENTE

NVMINE DIVINO

EX DECRETO ET AVCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORVM ORDINIS

IN

ALMA NORICORVM ALTORFINA

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CAPESSENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET

CHRISTOPH. MAXIMILIAN. CNOPFF

HERSBRVCCO-NORICVS

D. VII. DECEMBR. A. C. CIↃ IↃ CCXXVIII.


TYPIS MAGNI DANIELIS MEYERI.



PRAELOQVIVM.



Axime optandum & cum ipsa rerum natura ortum, cunctisque hominibus inditum est, ut vitæ nostræ terminum ad longum diem producere possimus. Ea est omnium cura; hoc desiderium eos dies noctesque exagitat, ut illius voti sui compotes fiant. Si autem considerarent, quam destructibile & corruptibile corpus nostrum esset, exclamarent: Vanitas vanitatum & omnia vanitas! *Interim anxius amor & desiderium vitæ longæ eos ita excæcavit, ut quovis modo finem suum assequi allaborent. Hinc magnis sumtibus sibi comparant Panaceas, Universalia, Arcana &c. quæ tamen mera ex pelvi sunt fulgura. Dum sic bonus dormitat Homerus, miser Podagricus, de quo mihi nunc sermo est, in lecto, ceu eculeo, magnis tormentis, clamoribus & ejulatibus cruciatur. Ex inferno quidem nulla datur redemtio; hi tamen hoc solatii habent, quod ad paucum tempus libere, quamquam non diu, vagari possint. Vulgus quidem longam spondet vitam podagra affectis: at vero ubi novus advolat paroxysmus, ex levi circumstantia* RETROCESSIO *fieri potest; quam mox sequuntur horrendi in internis visceribus dolores, immo sæpissime Hannibal ante portas, mors instat, &, ni debito modo præveniatur, vitæ ineluctabilem finem adfert. Ne autem vel illis vel mihi sic eveniat,* DIVINVM *invoco* NVMEN!



CAPVT I.
DE PODAGRAE INDOLE ORDINARIA.

§. I.

SAtis notus & frequens est affectus podagricus, ut non opus mihi videatur eundem latius describere. Sufficit notasse vocabulum Græcum podagra dictum non inconvenienter denotare τῶν ποδῶν ἄγραν, *pedum capturam*; ægroti enim pedibus suis capti sunt & lecto quasi affixi, ut nec attingere eos, nedum movere audeant. Aliis, inprimis Paracelsistis & Chimicis, morbus Tartareus, nodosus dicitur. Jocose nonnulli *morbum Dominorum*, die Herren-Kranckheit vocant, quia magnatum & divitum pulsat fores, neque inter arma silet, sed Martis æque ac Musarum sequitur castra, utplurimum tamen rusticorum præterit tabernas. Quippe homines laboribus dediti a multis gravibus ac chronicis passionibus fere immunes degunt: præsertim si temperantiæ a necessitate imperatæ fructum qualitas assumtorum noxia non corrumpat aut eripiat. Sermone vernaculo das Zipperlein an Füssen salutatur; quamvis vulgo receptum sit, vocabulo hoc abuti generaliter pro omni arthritide: hinc nostratibus familiaris etiam est locutio, das Podagra an Händen.

§. II.

Affectus arthriticus aliquando contagiosus fit. Dantur enim ex morbis chronicis quidam maligni, & hi fiunt, si succi valde impuri & in putridam corruptionem proni sunt: hinc efficitur, ut morbus hicce, qui alias satis benigne & placide incedere solet, pessimos induat mores, neque omni

peri-

periculo vacet. Interim tamen dolor podagricus eſt vehementiſſimus, quod arguere licet ex partis affectæ ſenſu exquiſito: ipſi etiam ægrorum ejulatus & querelæ non leve de immani dolore perhibent teſtimonium. Sæpius etiam, *ſi inſultus ſuſtinent acerbos, nemo fere in eorum conſpectum venire audet & plauſtra convitiorum jaculantur*, ut refert ROSINUS LENTILIUS. (*a*)

§. III.

Affectus ſui ipſius index eſt: quis enim eſt, qui dolorem hunc non agnoſcit? hinc *Medicus quidam podagricum accedens cum quæreret ex eo, ubinam doleret, graviter eum dicendo increpuit, quæris tu adhuc ubi doleam? quære magis ubi non doleam*, *teſte* JOH. JAC. WALDSCHMIDTIO (*b*). Prodit ſe laſſitudine corporis ejusque tenſione, horripilatione vel horrore febrili, item inflammatione partis affectæ hic dolor, qui vel tenſivus vel gravativus vel lancinans vel etiam alia indole ſe ſiſtit. Adeſt quoque calor, rubor, tumor, perturbatio animi, hinc ſomnus ut plurimum interruptus, pulſus frequens, urina a naturali ſtatu deſciſcens. Tandem dolore ſedato provenit magis ſtupor & rigor membrorum, vel atonia, quæ ſemper functiones œconomiæ noſtræ corporeæ valde lædit atque immutat. Dantur adhuc plura ſigna, quæ tamen brevitatis ſtudio omittuntur.

§. IV.

Cum eryſipelate facile confundi, immo ſtudio, quibus nomen podagræ odioſum eſt, ſub eryſipelatis ſæpe larva occultari ſolet; ſed diſtinctu adeo difficiles non ſunt affectus, utut prima fronte, præſertim febris nonnunquam comitantis intuitu, convenire videantur. Eryſipelas enim circa cutaneas

(*a*) in Eteodr. Med. Pract. Ann. 1709. p. 950. (*b*) Oper. Med. Pract. P. II. p. 170.

neas & exteriores partes magis hæret, cum dolore & tumore mitiori: Podagra vero magis interiores articulorum partes vehementiori invadit dolore. Cum porro ingens plerumque in morborum cognitione admittatur confusio doloris arthritici & rhevmatici, amborum differentiam accuratius sistere placuit *Ill.* FRID. HOFFMANNO (c) dicenti: *Discrimen horum affectuum in eo consistere, quod arthriticus a sero tartareo-acri, intra juncturas articulorum obhærescente, proficiscatur; in rhevmatico vero materia illa serosa salino-caustica membranis musculorum & ligamentis articulorum exterius potius insideat. In arthritide quoque tum glandulæ, quæ in articulationibus reconduntur mucosæ a Clariss. Anglo* CLOPTON HAVERS (d) *inventæ, tum ligamenta glandulosa materiam arthritidis evomunt: contra ea in rhevmatismo stagnans illud acre serum ex sanguine in canalibus nimium congesto inter membranarum & musculorum interstitia magis secedit atque colligitur.* Deinde etiam dolor podagricus maxime differt ab *illo artuum dolore venereo*, cum ille interdiu magis affligat homines, hic vero noctu magis sese prodat. In arthritide quoque quædam commotio febrilis sese manifestat, quæ autem in lue venerea abest: siquidem etiam ex hoc dignosci potest, *quod arthritis ut plurimum stata sua tempora, nempe vere & autumno, juxta* HIPPOCRATIS (e) effatum, *servet*, quæ autem non observantur in morbo gallico. Porro quoque ab illo artuum dolore discernendus est dolor arthriticus, quo afficiuntur ii, qui post venæ sectionem artus frigido aëri exponunt, ex quo scilicet debilitas membri affecti sequitur, postea dolor, per aliquod tempus durans. Alia arthritis etiam est *regularis*, quæ videlicet stata sua tempora observat, uti ex Hippocratis sententia nunc citata adduximus, *circa solsti-*

(c) Med. Ration. Syst. Tom. III. p. 49. (d) Osteolog. nov. p. 303.
(e) Sect. VI. §. 457.

solstitia nempe vel *circa æquinoctia*, quia iisdem temporibus speciales, tam in macrocosmo quam microcosmo, se manifestant mutationes: alia est *irregularis*, quæ inopinato mancipia sua magnis cruciatibus passim adoritur, maxime si errores in diæta, medicationibus & similibus sæpissime committuntur. Alia est *hæreditaria*, ceu varia proferri possunt exempla; mihi quoque notus est Vir temperatissimus, qui nihilominus vehementissimis podagræ insultibus sæpe per aliquot hebdomadas fuit obnoxius, quia parens ejus etiam podagricus erat. Alia est *Tartarea*, si scilicet mucus ille lymphaticus intra juncturas artuum consistens, tartareis, fixis, terreis & erodentibus particulis imbutus est, hinc tophorum origo, vide citatum CLOPTONEM HAVERS *(f)*.

§. V.

Causæ hujus mali variæ ab Autoribus Medicis adducuntur, mihi autem cum *Ill.* FRID. HOFFMANNO *(g)* videtur proximam esse *diuturniorem moram & stagnationem humorum lymphaticorum, qui sæpius inde acrimoniam causticam contrahunt, & molestissima procreant symptomata*, ceu ab hac acrimonia dolores artuum vagi & fixi derivari possunt. Si enim particulæ acres, salinæ, tartareæ, erodentes, quæ partim per alvum, partim per urinam, partim per cutim excludi deberent, maxima ex parte in succis remanent, atque postea salia ex alimentis salsa, acida & diversi generis alia admiscentur, non mirum est pro varia horum unione, intimaque combinatione, eorumque inter se agitatione, diversi generis & naturæ summe acria & caustica quoque ingenerari, quæ postmodum in glandulis & eorum ductibus lymphaticis, circa membranas & nervosas articulorum partes, seu tendines & ligamenta, deponunt materiam peccantem. Hæc vero rodendo

(f) l. c. p. 308. & 309. (g) l. c. Tom. II. p. 457.

dendo vellicandoque vim exerit suam, nempe in quantum salia diversæ indolis commista sunt, quæ ita varios excitare orgasmos solent, nec a distensionibus suis dolorificis remittunt, donec particulæ impuræ congestæ aut insensibili transpiratione ejectæ, aut mutua lucta quasi subactæ sint.

§. VI.

Causæ remotæ esse possunt sex res non naturales, inprimis si circa esculenta & potulenta nullum observatum fuerit regimen, ex quo deinde primæ viæ inquinantur, ac dolores podagrici, tanquam causæ delitescentis & accumulatæ effectus, in actum deducuntur. Nam in sanguinem, mediante circulatione delatæ, serum impurum reddunt, quod contaminatum varios affectus in scenam producit, præsertim ubi jam dispositio hæreditaria præcesserit. Penes hæc considerationem merentur animi affectus, qui operationes suas maxime in partes nerveas exercent, simul potenter ventriculi & intestinorum motum naturalem immutare, destruere, vel etiam intendere possunt; uti mihi notum est exemplum generosi viri, qui in ipso actu iracundiæ, quum eo tempore sanissimus esset, illico fulminis instar dolorem podagricum in sinistri pedis talo sensit. Producit quidem NICOLAUS PECHLINUS (h) *de iræ efficacia in podagrico* quodam egregiam observationem: cavendum tamen maximopere est, inquit laudatus D. FRID. HOFFMANNUS (i), *ne in cholericis vel etiam cachecticis, & ubi male sunt constituta viscera, itemque ubi ad erysipelas, ad hæmorrhagias, ad apoplexiam & ad metastases sanguinis ad caput, ad affectus spasmodicos inclinant corpora, ejusmodi curam adhibeamus.*

§. VII.

Quanquam atrociores sint dolores podagrici, solatium tamen miseris ægrotantibus præbet, quod absque mortis periculo

(h) Observat. Med. Libr. III. Observ. 26. (i) l. c. Tom. II. p. 156. §. 14.

riculo degant, quia impuritates a centro ad peripheriam & a nobilioribus partibus ad ignobiliores propelluntur, nisi præpostera medicatione aut graviori errore diætetico per metastasin ad interiora remittantur, ubi graviora postmodum subsequuntur symptomata. Interim quibusdam paroxysmi citius abeunt, quibusdam tardius, prout corruptio lymphæ & sanguinis magis vel minus invaluit, vel ægroti sunt morigeri vel immorigeri & diætæ legibus se accommodant, vel easdem negligunt. Sunt autem certe paucissimi, qui obsequuntur, ita etiam raro curantur. Porro animo bono nos esse jubet patientis ætas, & fibrillarum nervearum robur, inprimis si viscera bene constituta sint, & si quis Medicum prudentem nactus fuerit. Alioquin, juxta HIPPOCRATEM *(l) Senes, itemque illi, qui tophos aut callos in articulis induratos habent, aut ærumnose vivunt, aut alvo sicciori sunt, ii sane omnes (ut sentio) humana arte sanari non possunt. His certe succedentes intestinorum difficultates optime medentur, quin & quæcunque aliæ eliquationes eos valde juvant.* Terminum solutionis idem laudatus Senex *(m)* dictitat: *Qui podagrici morbi eveniunt, sedata phlegmone intra quadraginta dies quiescunt:* sed intelligendum pro ratione materiæ peccantis, quo contumacior ea est, eo serius discutitur; attamen non durabit illa inflammatio ultra quadraginta dies, si medicus & æger suum fecerint officium, & tophi non fuerint jam coagulati: vid. Jo. HEURNIUS in hunc Aphorismum *p. 456.*

§. VIII.

Plenariam conscribere curationem nunc non est mei instituti, quia multi Medici opiniones suas de hoc affectu jam detexerunt, & credo, quod nullus morbus in proferendis medicaminibus tam ferax sit quam podagra. Quæso, quot va-

B gantur

(*l*) ex Libr. 2. Sect. 2. Prædict. (*m*) Sect. VI. §. 49.

gantur Panaceæ, Universalia, Arcana (quæ STEPH. BLANCARDO sunt *Narcana*) antipodagrica? quot non indicant tantum *Annales Medico-Physici Uratislavienses* (*n*)? Certe si e pharmacopolio medicamenta hucusque usitata ejicerentur, illud solummodo talibus noviter inventis ab integro iterum erigi & compleri posset; tamen hæc omnia hactenus fidem non sustinuerunt, quin potius semper podagra victoriam reportaverit, non obstante gemitu & ejulatu ægrorum. Ejusmodi enim virtutis medicamenta, quæ semper in omnibus subjectis, certo & indubitato salutarem in morbis exerunt effectum, & nunquam medentis spem eludunt, nullibi sunt reperiunda, ceu notanter cit. Ill. HOFFMANNVS (*o*) monet. Et lumen illud Anglicanum, THOMAS SYDENHAM (*p*) in hæc verba erumpit: *Therapia radicalis & usquequaque perfecta, qua quis etiam a diathesi ad hunc morbum foret liberatus, adhuc in Democriti puteo latet, atque in naturæ sinu reconditur, nescio quando, aut a quibus in lucem extrahenda.* Optimum tamen omnium remedium videtur juxta cit. Jo. JAC. WALDSCHMIDIVM (*q*) *Abstinentia sobria & abstinens sobrietas: abstine & efficies quod medicina nequit;* ubi simul aliquos hoc modo curatos fuisse Autor annotavit.

§. *IX.*

Interim huic remedio associari possunt *sudorifera*, quibus autem salubri effectu longe superiora sunt *diaphoretica*, præsertim si cum sufficienti & calido liquido assumuntur, magnæque sunt efficaciæ, quia elasticitatem & vim contractilem cordis & vasorum, quæ in ejusmodi affectu admodum depressa est, intendunt, restituunt & sanguinis circuitum, ad meliorem impurorum succorum sequestrationem, efficacitei

(*n*) Tentam. I. p. 100. Tentam. IV. p. 704. & 714. Tentam. XVII. p. 435. Tentam. XXV. p. 1713. (*o*) l. c. Tom. III. p. 576. (*p*) Tract. de podagra & hydrope p. m. 99. (*q*) l. c. Part. II. p. m. 175.

ter augent. Sed insistendum est aliquamdiu hisce præsidiis, notante Ill. FR. HOFFMANNO *(r)*: quam diaphoresin Excell. D. D. KANOLD in *Annalibus cit. Wratislav.* *(s)* de meliori nota quoque commendat: & emphatice Ill. D. G. E. STAHLIUS *(t)* duas cautelas de hoc remedii genere apponit; I.) ne sudor simul vi & nimia copia; II.) ne intempestivo tempore eliciatur.

§. X.

Hisce annumeranda sunt *diuretica*, dum plura ex iis aperiente & incidente, alia roborante, tonica & balsamica, nonnulla anodyna facultate pollent. Et certe si ulla medicamenta ab arthritide, podagra, aliisque affectibus defendunt, certe a prudenti diureticorum usu id erit expectandum. Cavendum tamen merito ab omnibus calidis, acribus & causticis, & potius utendum lenioribus magisque diæteticis, vel decoctis, quæ diuresin blande movent, quæ emphatica verba habentur in sæpius citati Celeberr. FR. HOFFMANNI *Med. Ration. System.* *(u)*

§. XI.

Porro *lenientia & demulcentia* in morbis, qui ab acrimonia humorum ortum ducunt suum, & nervosis membranis molestias creant, in infusis vel decoctis oblata, usum habent præstantissimum.

§. XII.

Adhæc *Opiata* & medicamenta *soporifera* in paroxysmo cordatis Medicis semper sunt suspecta, ut nonnisi necessitate urgente adhibeantur, tuncque cautissime & in refracta dosi cum aliis appropriatis dentur: multæ enim profecto de sinistro eventu extant observationes.

(r) i. c. Tom. III. p. 448. (s) Tentam. XVII. p. 350. & 351. Tentam. XXV. p. 224. Tentam. XIX. p. 88. &c. (t) Untersuchung der übel curirten und verderbten Kranckheiten p. 231. (u) Tom. III. p. 506.

§. XIII.

Tandem *topica*, quanquam multa circumferuntur, ceu sunt emplastra, unguenta, cataplasmata, fotus, spirituosa & similia, quorum virtuti quidem nihil derogo, interim persuasus sum, probe distinguendum esse inter subjecta, inter symptomata praesentia, inter remedia, quae applicantur, & inter tempus, quando topica in usum trahenda sunt. Externa quivis fere patiens ad sistendum dolorem anxie desiderat, sed ut plurimum funesto exitu, ut de his non paucae prostant observationes. Parens meus frequentavit ante aliquot annos Virum podagricum, qui suo topico intra bihorium dolorem quidem levavit, ast paulo post subsecuta est paralysis sinistri lateris, dein haemoptysis, & ita mors.

§. XIV.

Extra paroxysmum optandum foret, ut Podagrici diaetam observarent medicam, quia hac optime ipsis consulitur, uti in D. VITI RIEDLINI *Curis Medicis* (vv) videre est; sed medice vivere illis est pessime vivere, nituntur potius in vetitum cupiuntque negata, & sic sensim nova panditur via ad futurum paroxysmum, ni in tempore praeveniamus: quod autem fieri potest, partim eccoproticis sive commodis laxantibus, quae primas vias a sordibus accumulatis liberant, partim etiam salibus detersivis.

§. XV.

Deinde *emetica* rite praeparata non frustra a variis autoribus e. g. FRID. HOFFMANNO, MARTIANO, ALPINO, HILDANO, HEINSIO aliisque magni aestimantur, tam praeservatorie quam in principio paroxysmi, quia saburram e primis viis eliminant, inprimis ubi nausea ac amaritudo oris observatur. Notus est mihi vir, qui vomitorio non semel, sed saepius feliciter usus est, ita quidem, ut finita hujus operatione abs-

(vv) Observat. 284.

absque scipione incedere potuerit. *Venæ sectio* tam *præservatorie* circa æquinoctia, quam *curatorie*, ab initio accessus, in pede, subjectis sanguinis copia laborantibus, proderit, etiam illis, qui alias hæmorrhoidibus obnoxii fuere. *Diaphoretica* & *diuretica* temperata, ut in paroxysmo, ita extra eum, commendantur, in quorum censu sunt infusa calida pota, quæ si præcipue decens juxta servetur diæta, non raro malum nisi tollunt, multum tamen demitigant. *Cura lactea* veteribus jam nota, caute in hoc affectu usurpanda, nam quamdiu diæta recta observatur, potatores bene se habent, verum ubi illa negligitur, in pejores incidunt morbos. *Scarificatio* in pede affecto quovis mense circa novilunium a multis quoque in usum trahitur. Quam egregium emolumentum ille, qui diuturno malo vexatur, ex mutatione aëris & itineribus capere possit, nervose delineavit cit. Ill. FRID. HOFFMANNUS *(x)*. Quæ hic produxi non simpliciter & absolute dicta volo, nulla enim regula sine exceptione, præsertim in Medicis: si autem displiceant, consulantur illi quatuor Medici optimi ab Excell. D. D. KANOLDO in *Annalibus Wratislaviensibus (y)* propositi: *Accuratum regimen, Animus sedatus, Calor moderatus & legitimus secretionum & excretionum successus: si non arrident, perfer & obdura.*

CAPUT II.

DE PODAGRAE INDOLE EXTRAORDINARIA SEU RETROCEDENTE.

§. I.

POdagra, uti notum, species est arthritidis fixæ, simili dolore atque tumore, intercurrente rubore in tarso, meta-

(x) Gründliche Anweisung / wie man sich vor Kranckheiten zu hüten habe / Part. V. p. 341. &c. (y) Tentam. XXX. p. 584.

tarſo, digitisque pedum recurrens : hic affectus ergo a ſuo genere non differt, niſi quod differentiam nominis ſolum a parte ſpecialiter affecta acceperit.

§. II.

Refertur hic affectus optime inter morbos longos vel chronicos, partim quod ex humorum & ſanguinis ſtagnatione & ſpaſmis originem ducat ſuam, partim quod per aliquot ſeptimanas, immo menſes, duret, licet acuto quodam febrili initio mancipia ſua invadat ; ut & inter ſalutares, quia cauſam morbidam, pernicialem e corpore foras removet, ejicit ac amandat : fit tamen, ut interdum peſſimos induat mores, ſi ſcilicet corpora valde impurioribus ſcatent ſuccis, ubi ex levi commiſſo errore ad interiora retrocedit.

§. III.

Denominationem accipiunt hi morbi exinde, annotante Excell. D. D. Georg. Dan. Coschwitz *(z)* quod materia peccans ſub motibus ſecretoriis & excretoriis ad certam aliquam partem, præcipue ignobiliorem, delata atque detruſa, ad aliam maxime oppoſitam depellitur, aut ad minimum motus naturæ propter materiam quandam moleſtam aut noxiam ſuſcepti ab uno ad alium locum tranſeant, præcipue ab externis ignobilioribus ad internas nobiliores.

§. IV.

Diſcrepant multum inter ſe morbi retrocedentes, quidam ex iis ad ſummam cutim ejusque peripheriam tantum pelluntur e. g. morbilli, variolæ, ſcabies &c. quidam profundius partes carnoſas & nervoſas glandulasque occupant e. g. bubones, carbunculi, eryſipelata, tumores podagrici.

§. V.

(z) in Organismo & Mechanismo patholog. p. 36.

§. V.

Horum morborum pessima est ratio & eventus, teste Ill. D. Frid. Hoffmanno *(a)*, quia materia ad superficiem corporis detrusa, indolis subtilioris salino-sulphureæ, postea ad interiora delata, nervosas partes occupans, gravissima pathemata excitat. Omnis enim morbus, juxta Eundem, *(b)* est magna mutatio & perturbatio proportionis & ordinis motuum in solidis & fluidis, cum vel nimis accelerati vel retardati in universo corpore aut in certis partibus, juncta cum insigni læsione secretionum, excretionum & aliarum functionum corporis animati, tendens vel ad ejus salutem aut interitum, vel ad pravam partium ad alios morbos dispositionem. Jam retrogradi affectus ejusdem sunt farinæ, dum œconomiam nostram animalem, jam antea labefactatam, magis magisque in periculosiorem præcipitant statum, & detentum morbi fomitem ad interiora & nobiliora viscera propellunt. Si enim materia retropulsa ad cerebrum ejusque membranas delata fuerit, pergit ille Autor in scholio *(c)* graves affectus capitis, ut phrenitides, convulsiones epilepticæ, lethargus, hemiplexia, aphonia, gutta serena, mentis & memoriæ alienationes facile suscitantur. Si vero ad præcordia delata nervosas ibi fatigat partes, graves pectoris morbi, ut asthma convulsivum, tussis ferina, catharrus suffocativus, difficilis & ægra, cum anxietate & angustia, spiratio & ingens virium collapsus resultant. Si vero ventriculi & intestinorum tunicis firmiter inhærescat, atrocia ventris tormina, cardialgiæ & periculosæ harum partium inflammationes, singultus, diarrhœæ oriuntur. Ex quo intelligitur, quantum periculi omnes illi morbi habeant, qui ab exterioribus ad interiora convertuntur: id quod jam olim probe annotavit Hippo-

(a) l. c. Tom. II. p. 144. (b) l. c. Tom. II. p. 56. (c) l. c. Tom. II. p. 145.

HIPPOCRATES *in Coacis §. 103. Eryſipelas foras quidem accedere commodum eſt, intro autem converti, lethale; invertitur autem intro, dum diſparente rubore pectus gravatur, & difficilem reſpirationem habet.* Et quod de eryſipelate hic dictum eſt, id de omni affectu externo, qui cum quadam inflammatione & dolore jungitur, intelligendum venit. Quod vero tantum periculi hi morbi alant, id ex eo fit, quod materia morbifica virulentæ indolis ad interiora relegata nervoſas maxime partes obſideat, in quibus graviſſima pathemata producit, nec tam facile ex iis rurſus evelli poteſt. Notum enim, quod ſerum impurum acre arthritidem vel podagram pariens, tantummodo articulorum membranas invadat, hæ autem, ceu partes nervoſæ, motu & ſenſu inſtructæ, uti in omnibus partibus, ita etiam in pedibus ſe conſpiciendas præbent, nam nervus intercoſtalis ad crura pertingit & crurali antico & poſtico conjungitur, annotante iterum Ill. FRID. HOFFMANNO *(d)*, hinc mutua inter caput, ventriculum & pedes conſenſio naſcitur.

§. VI.

Quia autem omnes morbi in eo conveniunt, quod functiones corporis vivi & ſani lædant, homo autem nervos tenerioris texturæ & ſubtilioris ſenſationis obtinet, qui nullam prorſus læſionem vel violentiam pati poſſunt, quin inde ſtatim doloroſam mutationem accipiant, & functiones tam in motu quam in ſenſatione perturbent, fit ut materia excrementitia a connubio ſanguinis jam ſeparata, & ad artus quidem ſalutariter propulſa, ab inordinato autem regimine vel animi pathematis irritata, ad partes, quæ fertiles morborum fomites & materias fovent, inter quas canalis ille nervoſo-membranaceus, qui ventriculi & inteſtinorum nomine venit, & morbis ac mineris morboſis ſolennem officinam præbet, retro-

(*d*) l. c. Tom. III. p. 108.

retrocedere cogatur. Quia autem hæc materia veneni vim & naturam obtinet, & licet mole valde exigua ſit, tamen ſub penetranti & adverſa ſubtilitate partium valde heterogenearum in partes ſenſibiles agit: truculenta inſtar veneni ſymptomata, quæ univerſi corporis œconomiam turbant, vel etiam extinguunt, & producta ab iis ſymptomata, pro diverſitate locorum, differunt. Quis itaque conſenſum mutuum partium tam fluidarum quam ſolidarum, qui maxime in communicatione motuum conſiſtit, & quem noſter *Senex* (*e*) breviter adumbravit, quod ſit *confluxus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia*, negare audebit? ita ut b. D. D. JAC. PANCRAT. BRVNO (*f*) jam optaverit, ut aliquis accurate & ex veris principiis oſtendere ſibi proponeret, qua ratione hoc in omnibus ac ſingulis fiat. Si vir hicce integerrimus adhuc in vivis eſſet, credo illum magna animi alacritate lecturum eſſe, quæ de conſenſu partium omnium magnus FRID. HOFFMANNVS (*g*) dilucide explanavit & exemplis illuſtravit.

§. VII.

Ex his deductis apparet, quod caute in hoc morbo retrogrado procedendum & ab omnibus iis, quæ ullo modo repellendi facultate pollent, abſtinendum ſit. Hæc inter non poſtrema ſunt animi pathemata. Eſt enim horum tanta vehementia, ut celerrime corpus etiam firmiſſimum & integra ſanitate fruens, lædere, ejusque motus ſecretorios & ordinarios, qui vitæ proſunt, deſtruere, pervertere, & graviſſimos morbos, immo ſubitam mortem, inferre poſſint. Si ergo ſaniſſimum corpus ab hisce impetitur, quid non de morboſo ſubjecto dicendum erit? Refert laudatus FRID. HOFFMANNVS (*h*) de Podagrico, cui terrore afflicto, cum ſubſecuto

 animi

(*e*) Libr. de Aliment. IV. 24. (*f*) Lex. Med. ſub tit. CONFLVXIO. (*g*) l. c. Tom. I. p. 58. &c. et Tom. II. p. 43. (*h*) in Differt. de Podagra retroced. §. II.

animi angore, illico dolores ex pedibus ad interiora abdominis retropulsi sunt, torminaque & cruciatus excitantes, faucium etiam interiora aggrediebantur, quinimmo in capite subsistebant, somnum & quietem turbantes. Contra MOEBIVS (i) memorat, terrore curatam fuisse arthritidem. Sed tales curas minime imitandas esse inducor, quia motus naturæ, qui ab exterioribus ad interiora sanguinem & humores impetuose propellit, valde suspectus videtur. D. VITVS RIEDLINVS (l) curavit Arthriticam, ubi iræ effectus olim partes externas occupaverat, jam vero ori ventriculi noxam impegerat: cui lene purgans, ceteris permittentibus, cum fructu exhibuit.

§. VIII.

Omne frigidum nervis, item membranis, ligamentis, tendinibusque inimicum est, juxta HIPPOCRATEM & Io. HEVRNIVM (m) *comment. in eundem aphor.* Maxime omnium vero nocet pedibus, eorumque plantis, quoniam hæ partes valde tendinosæ ac nerveæ sunt, & sanguis per eas, a corde admodum remotas, tardiori cursu pervolvitur. Est mihi notus Podagricus, qui ante quadriennium tempore hyemali per varios confluxus aquæ nivalis equitare coactus, pedes ita perfrigeravit, ut altero mane non solum podagram in dextro pollice pedis, sed paulo post dolorem valde pungentem, ex hujus retrocessione, in pulmonibus senserit, a quibus mediante blanda diaphoresi sensim liberatus fuit.

§. IX.

Acta Medicorum Berolinensium (n) ex indice ibidem A. 1720. mortuorum referunt numero XIX arthritide vaga & podagra extinctos. Videtur hoc contra illud vulgare dicterium

(i) in Epitome Institut. L. IV. P. II. c. 8. (l) in Curis Med. Observ. 659.
(m) Sect. V. §. 18. p. m. 338. (n) Volum. IX. p. 50.

ſterium pugnare, quod Podagrici fiant annoſi. Sed in promtu erit ratio, ſi quis perpendet, quam facilis in vulgari praxi ſit ad venæ ſectionem in ipſis paroxysmis, partim ex inſcitia partim ex præjudicio, reſolutio; qua dein celebrata, ſi dolorum exacerbatio preſſo pede ſequatur, indiſpenſabilis anodynorum ſubjungitur uſus. Qualis curandi proceſſus e diametro contrariatur morbi hujus genio, quia omnem debitum materiæ excernendæ progreſſum ſufflaminat, illamque potius intra viſcera incarcerat, præſertim cum motus, neceſſaria ſecretionis inſtrumenta, ſimul præpoſtere conſopiantur.

§. X.

De horum proterva, inconſiderata & liberaliori diſpenſatione paſſim varii cordati Medici jam conqueſti ſunt, legique merentur Ill. G. E. STAHLII Diſſertatio *de Impoſtura Opii*, ubi variæ notatu dignæ hiſtoriæ de incauta exhibitione opiatorum traduntur; item Ill. FRID. HOFFMANNI *Medic. Ration. Syſtem.* (o), ut & *de Abuſu & noxa medicamentorum ſoporiferorum & narcoticorum* (p), qui porro ulterius tam in *Diſſert. de Podagra retroced.* (q), quam in *Praxi Medica* (r), de funeſto exitu opiati mentionem facit: Nempe viro hypochondriaco-podagrico in paroxysmo ab empirico quodam cataplasma ex radice ſymphyti, aceto, alumine & camphora, ut in uſum duceret, commendabatur: quo quidem remedio dolor mitior factus, ſed ab eo tempore ſenſit magnam laſſitudinem membrorum cum appetitu proſtrato, ſomno turbulento & dolore ſpasmodico-conſtrictorio ſub ſcrobiculo cordis, qui ad coſtas ſpurias dextri lateris fixus hærebat. Medicus in conſilium vocatus opiata in liberaliori

 doſi

(o) l. c. Tom. II. cap. VII. (p) §. 1. & ſeqq. (q) §. IV.
(r) Regul. IX. p. m. 50.

dosi, ad sistendum dolorem, præscripsit, ast infausto eventu; nam brevi post redierunt symptomata magis truculenta, scilicet contorsiones, jectigationes, alvo manente durissima, licet clysteres applicati fuerint. Cibum assumtum ut plurimum iterum evomuit. Pulsus erat naturalis, urina pauca & flavi coloris. Tandem supervenere tussis sicca convulsiva, virium totalis prostratio & tandem convulsiones. Meminit etiam (s) podagrici, cui per aliquot septimanas granum unum extracti opii cum spiritu liliorum convallium quotidie propinabatur: post sectionem cadaveris videbatur hepar in parte concava nigrum & sphacelatum, in dextra parte ventriculi, ut & in diaphragmate, oculis obversabatur macula nigra, venæ parum sanguinis habebant.

§. XI.

Annales Wratislavienses (t) etiam referunt historiam sinistre curatæ podagræ cum subsecuta subitanea morte, ubi æger in paroxysmo per empiricos opiato in forma liquida, pillulis purgantibus drasticis, emplastro antipodagrico & fomentationibus tractatus fuerat. Omnium ægrotantium quidem votum eo redit, ut quantocyus a dolorum tormentis atrocibus liberari possent: sed hic Medicina nostra sæpe enervata est, & quanquam prima fronte opiata auxilium afferunt, paulo post tamen, juxta allatum exemplum, majora sequuntur damna, ita ut si quis hæc in usum vocare secum constituit, omni circumspectione ad id perficiendum opus habeat.

§. XII.

Quod ex Podagra retropulsa convulsiones epilepticæ oriantur, produnt *citata Acta Berolinensia*: (u) de viro habituali podagrico, qui per aliquod spirituosum topicum (ex qui-

(s) de perversis curationibus §. 12. (t) Tentam. XVII. p. 626.
(u) Volum. VI. p. 19.

quibus autem hoc compoſitum fuerit, non exprimitur) arthritidem ex pedibus abegit: hæc autem pedem fixum nunc ſecunda vice in inteſtinis ponebat, ſub ſchemate obſtipatæ alvi cum torminibus colicis: quicquid ſcopo laxandi interne dabatur, effectum non attingebat. Clyſteres, quotquot etiam injiciebantur, aut irrito effectu redibant, aut ex parte retinebantur, quanquam ſtimulo ſatis notabili non carerent. Talis pertinax ſpaſtica reſtrictio eo usque perſtabat, immo ad ſupernas diffundebatur partes, ut veri motus convulſivi cum abolitione ſenſuum & rationis inſequerentur, quibus per aliquot horas ita durantibus, vix crederet quis, ægrotum eluctaturum fuiſſe: iſtis tamen ceſſantibus paulatim quidem rediit ad ſenſum, ſed mentis nondum ſtatim compos fuit, potius quaſi delirus, admodum inquietus, immo neminem tolerans jacebat. Retrogradorum uti per ſe eſt peſſima ratio, quia eorum materia eſt indolis ſubtilioris ſalino-ſulphureæ, ita ad interiora delata nervoſas partes occupat hinc initio ſub ſchemate ſpasmodico in infimo ventre ſe manifeſtavit, poſtea ad cerebrum eodem modo ſaltum fecit, metu fere extinctionis vitalis adlato.

§. XXIII.

Eodem modo morbi invadunt præcordia & nervoſas fatigant partes, quod confirmat D. VITVS RIEDLINVS (x) hac hiſtoria: Horologiopœus quinquagenarius arthriticus, ſanus veſperi lectum petens, mane autem evigilans tam difficili reſpiratione correptus fuit, ut a ſuffocatione ſibi metuerit, verum Divina gratia reſtituitur, aſt inſequitur dolor pedis acerbiſſimus, hoc ceſſante, iterum difficilis reſpiratio ſucceſſit, ut nonniſi ſedens, & ſic quidem nonniſi difficillime, perficere eandem potuerit. Poſtmeridiem meum expetenti conſilium, præſcripſi neceſſaria medicamenta ſub ſpe, quia viribus ſic ſatis adhuc pollebat,

 eum

(x) l. c. Obſerv. 883. p. 615.

eum non fruftra ordinata in ufum ducturum; verum enim vero fequentis diei fummo mane eum convulfionibus fupervenientibus fatis ceffiffe nuntiabatur. Quam igitur periculofa fit arthritidis e pedibus in pectus metathefis, hæc obfervatio declarat.

§. XIV.

Multiplici compertum eft experientia, materiam arthriticam tartaream, in fenibus præfertim, fæpius vias urinarias infeftare, & fic arthritidem in calculum mutari, ut unus alterum excipiat morbus. Confirmat id D. VITVS RIEDLINVS (y) his verbis: Vir quidam honeftus fexagenario major, cum nuper uxor ejusdem morbo gravi decumberet, eodem aliquando fic aucto, ut & mortis periculum fubeffe fibi metuerit, hinc adeo perterritus fuit, ut fequenti ftatim die & ipfe male fe habere inciperet: conqueftus inprimis de doloribus, lumborum regionem occupantibus: quibus tamen propter negotiorum multitudinem, nullum fere oppofuit remedium, nifi quod me, tum uxorem vifitante, monente non quidem quam ego defideraveram, fed parcam admodum lapidum cancri quantitatem, &, quantum novi, femel folum fumfit. Unde quidem fe remififfe quodammodo malum vifum fuit, at caufam ejusdem non tam fublatam, quam aliorfum translatam fuiffe abunde patuit, quia hos dolores, intenfiores manum finiftram occupantes exceperunt, qui, ficuti prius aliquando fpiritu vini camphorato applicato mitigati fuerant, ita nunc eodem exafperabantur, unde ego eum non tam in remediis externis, quam inprimis in infufo herbæ Theæ auxilium quærere juffi. Hæc ille.

§. XV.

Nulla pars tam gravibus ftricturis fpafticis obnoxia eft, quam ipfe ventriculus cum inteftinis, quia hominum vifcerum

(y) l. c. 801. p. 355.

rum canales ex membranis valde nervosis, acutæque sensationi maxime idoneis, contexti sunt; jam materia arthritica, ut serum impurum acre, quæ membranas nerveas circa articulos (est enim mira communicatio partium nervosarum) occupavit, si ex improviso error in diæta vel in regimine, vel in pathematis animi & similibus committitur, illico deserit suum, & nobiliorem sensibilioremque occupat locum, hinc majus periculum, quo magis ad interiora vergit eaque lancinat. SOLENANDER in suis consiliis casum adducit podagrici, quem dolor colicus invasit, cui suaserat, ut revocaretur arthritis ad exteriora rursus; sed obstitit quidam Senior Medicus & æger interiit. In *Actis Medic. Berolin.* (z) legitur casus implicatus cum subjuncta sectione hominis ex repulsa podagra mortui, qui videatur.

§. XVI.

Notum est vulgare dicterium: *Senectus ipsa morbus*; neque male, dies enim manifestat, quod decrepitorum fibræ sint contractæ, per quas humores nec bene amplius influere, nec satis promte effluere possunt. Hanc etiam ob caussam stagnationibus & obstructionibus, ut fœcundissimis semper morborum matribus ac matricibus, libera panditur via, qua tardior circulatio humorum, inprimis seri, hic vel illic particulas acres tartareas, in his vel illis membranis nerveo-tendinosis, effœtas deponit, donec a caussa procatarctica in actum deducuntur. Quia autem natura præcipue sui conservatrix & maxime in eo occupata est, ut omne nimium vel inimicum, quod sanitati insidiatur, e corpore propellat, ac a centro ad peripheriam protrudat, hic quoque intensis motibus annititur, ut particulæ serosæ acres salinæ ad artus externos amandentur; quod si ex voto contingat, res est in vado. Ubi autem

(z) Vol. VI. p. 105.

autem imbecillitas virium se manifestat, vel cutis spiracula deficiunt, vel digestio depravata obvenit, vel animi afflictiones obicem ponunt, aut repellentia externa adhibentur, tunc utplurimum fit podagræ regressio ad partem nobiliorem. Ante annum circiter Parens meus ad ægrotum nobilem, febre continua benigna correptum, accersitus fuit. Cum inter alia ex eo quæreret, num nihil de podagra (laborabat enim quotannis hoc affectu) durante morbo sensisset, responsum dedit, se in pedis sinistro talo saltem levem & lenem observasse dolorem, qui iterum evanuerat. Quia autem memoriæ debilitas, virium & appetitus prostratio, crebrior ad urinam stimulus, febris & senium simul aderant, fatale concludere prognosticon, necessum erat. Scilicet molimen naturæ pro deturbanda podagra quidem aderat, sed ex debilitate virium hæc iterum ad interiora regressa est, & ita cum subsequente diarrhœa mortem acceleravit. *Annales Wratislavienses* (*a*) mentionem faciunt cujusdam fabri ferrarii ex retropulsa, vel potius sua sponte, ob imbecillitatem naturæ & ætatem provectiorem, regressa podagra. Ex usu fructuum horæorum vir senex ita debilitatus fuit, referente Ill. FRID. HOFFMANNO (*b*), ut podagra ad partes externas non sufficienter potuerit propulsari, unde remanens in corpore varia symptomata excitavit, usque dum subsecutæ fuerint convulsiones, quibus etiam obiit.

§. XVII.

Topica licet magni quibusdam æstimata, & aliquantisper dolorem lenire visa sint, tamen eorum eventus fere semper infidus est, sæpeque gravia ac periculosa inducunt symptomata, immo ipsam mortem. D. ROSINVS LENTILIVS (*c*) refert de Podagrico, qui rapas recentes in taleolas conscidit, in aquam

(*a*) Tentam. XVII. p. 626. (*b*) Differt. de Podagra retroced. §. VII.
(*c*) In Miscell. Med. P. II. p. 310.

aquam frigidissimam immersit, hasque dein partibus dolentibus circumligavit, & ipsos artus tamdiu in frigidam aquam recondidit, donec dolorem abactum sentiret, quod utplurimum brevi temporis spatio contingere assolet; sed tali eventu horrendo, ut per semestre dolores longe atrociores expertus fuerit, & quidem cum tanta nervorum resolutione, ut pedibus inniti vix valuerit. D. VITUS RIEDLINUS *(d)* etiam meminit alicujus Podagrici, qui ex unguento (quale fuerit, non exprimitur) applicato, tum dolorem ventriculi gravativum, tum febres excitavit cum subsequente delirio, memoriæ abolitione, gangræna & tandem morte. Idem Autor *(e)* refert de mercatore quodam, qui ex suasu scurræ cujusdam tincas vivas partibus dolentibus alligavit cum subsecuta morte. Aurifaber quidam sal in aqua solutum cum levamine pedibus dolentibus imposuit; ast dolores circa lumbos tam immensi, cum dyspnœa & pulsu intermittente subsequebantur, ut ipse vix respirare amplius potuerit: quæ tamen symptomata, DEI gratia, liquor volatilis oleosus Sylvii brevi sustulit; vid. cit. Autor. *(f)* *Ephemerides A. N. C.* *(g)* communicant historiam de Nobili Podagrico decenni, qui ab agyrta per tres septimanas medicamentis, doloribus autem in eadem sævitia persistentibus, tractatus fuit. Interea de utroque femore tumor durus exsurgit, pro quibus tollendis adhibuit unguentum Mercuriale; a cujus applicatione per triduum utrumque femur, item scrotum & adjacentes partes inclusis flavis lividisque pustulis intense inflammabantur, qui autem, auxiliante DEO, a Medico, medicamentis rite præscriptis, feliciter iterum restitutus fuit. Possent adhuc plu-

(*d*) Linear. Med. Anno 1700. p. 139.
(*e*) Linear. Med. Anno 1695. p. 419.
(*f*) l. c. Anno 1695. p. 418.
(*g*) Decur. II. Ann. 11. Observ. 157.

ra adduci exempla, ſed ne tædio alibi jam poſitorum repetitio ſit, addo ſolum, quod Parens meus Virum Podagricum ante aliquot annos frequentaverit, qui aliquoties, ingruente paroxysmo podagrico, dolorem raſura raphani majoris & minoris intra bihorium compeſcuit. Hoc remedio ita per aliquot vices applicato, incidit in Paralyſin dextri lateris, & paulo poſt in hæmoptyſin cum ſubſecuta morte. En retroceſſionem podagræ, quæ nobiliores partes corporis aggreſſa eſt.

§. XVIII.

Ex hactenus adductis facile liquet prognoſis Podagræ retrocedentis, cum potiſſimum partes membranoſo-nerveas & ſenſibilioris texturæ invadat, ita ut ſæpiſſime febris acuta, gangræna & ſphacelus, immo mors ipſa inſequi poſſit, ni caute & prudenter præveniatur: ceu allatæ hiſtoriæ ſatis ſuperque confirmant. HIPPOCRATES in Libro *de Morbis* dicit: *Podagram minime eſſe lethalem*, quodſi autem vitioſum ſerum ſpiculis acribus turgidum ad interiores partes recedit, periculum certe non leve imminere vitæ intelligitur. Ill. FRID. HOFFMANNUS (h) quæſtionem ſcitu dignam movet, an Thermæ Carolinæ, ſi podagra vel arthritis retroceſſerit, acres tartareæque particulæ caput & nervoſas partes occupaverint, ſpasmos, anxietates, inquietudines, flatulentias, dolores & lancinationes ſuſcitaverint, neque ullo modo artus ad externos revocare poſſibile ſit, in uſum trahendæ ſint? Hic ex ſua experientia ſcribit, Thermas Carolinas hoc in ſtatu modice & moderate epotas ſaluberrimum prodidiſſe effectum, ita ut non ſolum ſymptomata nominata penitus evanuerint, ſed & podagra pedes iterum occupaverit. Hæc in

(h) Gründliche Anweiſung der Geſund-Brunnen / inſonderheit des Carls-Bades P. III. cap. XI. §. 17.

in Perilluſtri Domino, pergit, ante 16 annos in dictis Thermis Carolinis, ut præſens teſtis, expertus fui: minime ergo dubito, quin aliæ Thermæ e. g. dictæ aquæ Emſenſes, eundem effectum in actum deducturæ ſint. Frigide autem potare acidulas, præſentibus his ſymptomatis non conſentit.

§. *XIX.*

A ſanguinis miſſione, in corpore minus plethorico intempeſtive adminiſtrata, podagram repreſſam novit Ill. Frid. Hoffmannvs *(i)*. Eſt res certe magnæ prudentiæ medicæ, Venæ ſectione recte uti poſſe in morbis, quos ſalutaris quidem & critica ad cutim excretio ſtipat, quia ab ambitu corporis humores revocat. Hinc non ſine dolore obſervamus, referunt *Acta Med. Berolin.* *(l)* inter plebejos luctuoſos & innumeros evenire caſus, quos Venæ ſectio, ſaltem præpoſtere & ſine adhibito periti & circumſpecti Medici conſilio celebrata, producere ſolet: ceu uxor cujusdam fabri ferrarii id experta eſt, quæ, vigente paroxysmo arthritico, eam inſtituit, qua malum abhinc obfirmatius factum eſt *(m)*. In vulgari quidem praxi facile itur in ipſis paroxysmis ad Venæ ſectiones, partim ex inſcitia, partim ex præjudicio *(n)*. Videatur etiam Tractatus elegantiſſimus Ill. D. G. E. Stahlii *de uſu & abuſu Venæ ſectionis.*

§. *XX.*

Purgantia hactenus omnes cordati Medici reformidarunt, quia nunquam operationes ſuas in inteſtinorum tunicas nerveas ſine ſpasmo fortiori exercent: hic autem ex alvi per

 ali-

(*i*) Med. Ration. Syſtem. Tom. III. p. 192.
(*l*) Vol. IV. p. 11. 12.
(*m*) Vol. V. p. 23.
(*n*) Vol. IX. p. 50.

aliquot sæpe dies difficultate sese manifestat. Jam podagræ retrocedentis materia, uti ex antecedentibus patet, est indolis subtilioris salino-sulphureæ corrosivæ: hæc si canalem nervoso-membranaceum, qui ventriculi & intestinorum nomine venit, occupavit, purgans quoque in se & sua natura spectatum, ejus tonum lædit ac pervertit, febres etiam omnis generis podagræ tam per se quam retrogradæ sese associant. Quæso igitur quis ea in usum vocabit, nisi empiricus? ceu exemplum supra ex *Annalibus Wratislaviensibus* adductum legi potest: cum cordatis Medicis lenientia vel laxantia, si opus est, sufficiant, quanquam nec hæc semper tuta inveniuntur. Notavit enim D. VITVS RIEDLINVS (o) de scriba quodam arthritico, qui ut alvum obstructam reseraret, quasdam pillulas Francofurtenses sumsit: utut vero iisdem scopum suum attigerit, dolores tamen non solum auctos, sed & alias partes occupantes, statim postea sensit. Quemadmodum ergo Venæ sectio, si materia podagrica in motu est, noxam affert, sic quoque laxantia caute erunt propinanda, ad minimum clysteres lenissimi & lenientes hoc in passu sacra erunt anchora.

§. XXI.

In hoc rerum statu absint omnes commotiones animi, quæ ad excitandas inflammationes in visceribus satis capaces sunt, cum sanguis ita ab exterioribus ad interiora vi propellatur & inflammatio progignatur. Emetica vitanda, quia materia peccans caustica membranas nerveas ventriculi & intestinorum jam impetivit, partes ergo tales de novo infestare, esset oleum igni addere. Infausta damna a variis externis constringentibus & topicis luculenter commonstrata sunt.

Pur-

(o) Curar. Med. Observ. 36. p. 21.

Purgantia ne hilum profunt, cum lenientia vel laxantia vix tuta fint. Venæ fectiones quæ ab ambitu corporis humores revocant, quomodo tranfpirationem in corporibus jamjam debilibus promovere, ac cutis tubulos apertos fervare poterunt? Quid dicam de opiatis, res certe non vacat periculo, his uti velle, ubi magna humorum corruptio & ingens membranarum imbecillitas adeft. Quid confilii ergo, fi heroica nihil valent, cum podagra retrocedens tam fenfibiles occupat partes tamque funeftos excitat morbos? Hoc in cafu nihil tutius, fecurius & aptius videtur, quam corpus in continua, blanda ac æquabili confervare diaphorefi. Novi podagricum, qui aliquando hora nocturna inopinato a doloribus lancinantibus & pungentibus in pulmonum fubftantia cum tanta vehementia laceffitus fuit, ut fibi de hæmoptyfi ingruente metueret. In his anguftiis ftatim lecto fe commifit; prolecto fudore facta eft metaftafis in pollicem pedis finiftri, cum totali remiffione & evanefcentia dolorum pulmonalium. Certe in his & talibus non alia incedere poffumus via; quæ licet fit fimpliciffima, tamen tutiffima ac eo magis amplectenda, quo magis rationi eft confentanea & femper a Medicis defideratur, ut cito, tuto & jucunde curationes fuas abfolvant. Porro non ignotum, quod materia hujus morbi fit ferum lymphaticum impurum acre, ex mora autem ftagnationis venenatam caufticam induerit qualitatem (non totum inquinatum dico, fed illud faltem, quod in hac vel illa parte ftagnationem adeptum fit): hoc inprimis actione fua partes fubtiliori motu ac fenfu præditas, quales membranofo-nerveæ ac mufculofæ funt, afficit molefte, vel diftendit & comprimit, vel lancinat aut irritat, & ita fpafticas dolorofas tractorias motiones & reactiones

 exci-

excitat, quæ pro diverſitate partium, quibus inſident, tunc varia ſortiuntur nomina (*p*).

§. XXII.

Hæ ſpaſticæ ſtricturæ ut demulceantur & ſopiantur, licet *ſudorifera* accommodatis aliis medicamentis juncta magnæ ſint efficaciæ, dum ſerum viſcidum ſtagnans acre membranis nerveis inhæreſcens diſcutiunt, eliminant, & hinc meliorem impurorum ſuccorum ſequeſtrationem efficiunt, tamen his ſalubri effectu longe ſuperiora ſunt diaphoretica, (quæ diapnoica vocare alii ſolent) cum placide tantum augeant & moveant perſpirationem, hinc potiſſimum in omnibus morbis, febribus acutis, inflammationibus, cujuscunque generis ſint, ſola hæc, pauca & continuata doſi, cum convenientibus vehiculis (i. e. ſufficienti & calido liquido) data, omne ſanationis punctum abſolvunt & revera optima ſunt discutientia & ſanguinis maſſam depurantia: vid. cit. Ill. FRID. HOFFMANNVS (*q*) & quidem eo magis, quo ſeri ſalſi, tartarei copia, quæ dolorum tam arthriticorum quam rheumaticorum ut plurimum genitrix eſt, utiliter ſimul cum iisdem per lenia, non vero calidiora, diuretica expurgatur atque ſubducitur. Quia autem actio diaphoreticorum varia eſt & multiplex, ſuadeo brevitatis ſtudio, ut evolvatur Ill. FRID. HOFFMANNVS (*r*). Illa vero cum ſtomachicis vel carminativis, diſcutientibus, roborantibus, bezoardicis, balſamicis, antiſpasmodicis & ſimilibus, ſemper tamen temperatis, ſub quocunque ſchemate & pro cujusque intentione, præſcribi poſſunt.

§. XXIII.

(*p*) l. c. Tom. II. p. 61.
(*q*) l. c. Tom. III. p. 501.
(*r*) l. c. Tom. III. p. 499. &c.

§. XXIII.

Si porro podagra retrocedens, uti indigitatum eſt, a peripheria ad centrum vergens, vehementes ſpaſticas ſtricturas excitat, variarum in œconomia animali turbarum motrix eſt, ſecretiones & excretiones retardat, conſequenter plura vehementia ſymptomata producit, ut inter aliam colicam; tunc in ea verſor opinione, ob maxime ſenſibilem ſpaſmum, huic ceu malo urgenti, clyſteribus oleoſis & unguentis lenientibus, ſimul interne demulcentibus & antiſpasmodicis, obviam eundum eſſe. Sedatis autem his motibus, tunc cauſa materialis podagræ appropriatis remediis amolienda & expellenda erit.

§. XXIV.

Podagricus ſi fuerit hypochondriacus & fluxui hæmorrhoidali aſſuetus, applicatio hirundinum commendatur. Diſtinguendum autem erit cum ſæpius citato Ill. FRIDER. HOFFMANNO *(s)* inter fluxum hæmorrhoidalem naturalem & ſemper ſalubrem, qui ex ſanguinis redundantia & ad eam tollendam fit; & inter eum, qui ex conſtitutione viſcerum abdominis præternaturali originem ſuam trahit. In priori caſu, ſi mox inter initia occurritur, earum applicatio ſine dubio erit optima.

§. XXV.

Localia ſeu topica Medicis ſuſpecta ſunt, nec fruſtra, multa enim de iis infauſta proſtant exempla etiam in antecedentibus adducta. Deſcribuntur inſuper varii ſpiritus antipodagrici & mixturæ ſpirituoſæ, quibus autem ſi bis terve partes

(s) l. c. Tom. I. p. 232.

partes dolentes illinuntur , utplurimum manifeſtum fit, quo
magis noceant quam proſint : quod D. VITVS RIEDLIN
(t) de ſpiritu vini camphorato & balſamo albo Auguſtano
jam annotatum reliquit. Si ergo in his , quæ penetrantis
energiæ ſunt, non tuta fides, quid de ceteris illis famoſis e
plaſtris, unguentis , oleis , cataplaſmatibus & hujus comm
tis pluribus , expectandum erit? nil certe niſi majora damna,
quæ ſibi ægrotantes ut plurimum ſponte accerſunt , non a-
tendentes viam naturæ , qua a centro ad circumferentiam
materiam morboſam expellere , & purum ab impuro ſece
nere conatur. Hæc ſi ab intempeſtive adhibitis topicis per
turbatur : prima quidem fronte inducias dare videntur , a-
flicti etiam de feliciſſimo ſibi gratulantur effectu ; aſt non
diu durante, quia paulo poſt periculoſiora, ob retroceſſione
ad partes maxime ſenſibiles & principes, ſequuntur ſympto-
mata. Interim topica non plane exterminanda eſſe puto
quia artus alias a dolore , tumore , rubore obſeſſi , propter
ambientem aërem frigidum majus tædium perpeti nece
haberent , cum omne frigidum juxta HIPPOCRATEM (u)
nervis & membranis ſit inimicum. Juvabit igitur linteis
ris vel cervicalibus ſuffimento adaptatis & calefactis , par-
tem patientem involvere. Tandem , ſi hæc prolata non a
amuſſim exacta videbuntur , ſpero, me hac vice veniam im-
petraturum , donec futuro tempore & confirma-
tiori ætate limatiora dare
valeam.

(t) Curar. Med. Obſerv. 464 & 781.
(u) Sect. V. Aphor. 38.

